

impenderet. Id comprobatum est, cum emissam in ejus cubiculum impudicam mulierem præcipiuus virginitatis sectator constanti animo extemplo expulit. Inde jejuniis, vigiliis et proprii corporis castigatione continuo vitam exeruit, et nudis quoque pedibus Compostellam ad sancti Jacobi sepulchrum peregrinatus est.

R. Inveni David.

LECTIO V.

A Gregorio decimo tertio Limanæ ecclesiæ ex quæstore fidei invitus præficitur. Quo in munere apostolicam sollicitudinem in nova christianitate vel solidanda vel amplianda adhibens perfecti præsulis partes explevit. Quare singulis dominicis diebus vel in ecclesia vel in hospitali domo, in parvis etiam oppidulis et subdiu concessionabatur plebemque catechismo instruebat. Synodos etiam diocesanas et provincialia concilia juxta Tridentini statuta habuit, et in eis complura decreta, postea a Sede apostolica confirmata, condi-

dita sunt, quibus modo ecclesia Americana regitur. Hinc morum emendatio, cleri disciplina, juvenum seminaria, virginum ac male nuptarum cœnobia, ægrotorum xenodochia, aliaeque ædes et templa, ejus etiam sumptu constructa, emanarunt.

R. Posui adjutorium.

LECTIO VI.

Dicæcim suam, amplissimam quidem, incredibili labore totam sæpe visitavit, omnesque pene ecclesiæ suæ proventus in pauperum usus, quos creditores suos vocabat, erogavit, et ingentem fidelium multitudinem sacro chrismate inunxit. Innumeræ contradictiones, sive ab iis, qui foris sunt, propter fidem, sive ab iis, qui intra, propter Ecclesiæ libertatem. summa patientia sustinens, acriter defendit, martyrii cupidissimus. Tandem sacerdotio et miraculis clarus, quæ etiam post mortem ipsius sanctitatem comprobarunt, dum propriæ dicæcesis visitationi incurreret, anno millesimo sexcentesimo sexto, ætatis suæ